CApacitates omnium poligoniarum issoperimetrarum adinuicem & ad circulum issoperimetrum eandem proportionē habent, quam primæ lineæ unius ad primas lineas alterius, & ad semidiametrum issoperimetrum. Similiter excessus capacitatis aliarum à triangulo supra triangulum in eandem proportionem se habent ad capacitatem trianguli, quam habent excessus primarum linearũ aliarum figurarum à triangulo ad primam trianguli lineam. Verbi gratia.



Sit prima trianguli a b prima alterius figuræ mediæ, ut quadrati c d prima circuli siue semidiametri c e, sit a c semicircumferentia oĩm istarum superficierum, quoniam sunt issoperimetræ, erit superficies a e capacitas circuli, superficies a d capacitas figuræ mediæ ut quadrati, superficies a f capacitas trianguli. Dico primo, ꝙ qualis est proportio superficiei a e ad a d superficiem, talis est c e lineæ ad c d lineam, & qualis proportio est a d superficiei ad a f superficiē, talis est c d lineæ ad c f lineam. per primã enim sexti Euclidis dictæ superficies sunt eiusdem altitudinis, ergo suis basibus sunt proportionales. Eodem modo probatur de excessibus capacitatũ, quia eædem sunt proportiones de superficiebus g e & b d ad lineas e d & d f, uel de superficiebus b e & b d, qui sunt excessus capacitatum circuli & quadrati supra triangulum ad lineas f e & f d, qui sunt excessus primarum linearum circuli & quadrati supra primam trianguli. hæc clara sunt ex eadem prima Sexti Euclidis. Quicquid ergo de capacitatibus corporum dicitur, & capacitatibus excessuum de ipsis primis lineis, dici potest & de eorum excessibus.

Si a secunda extremitate primæ circuli ad secundam trianguli linea recta ducatur æquedistanter basi in ea proportione, qua diuidet excessum secundæ supra primam ipsius trianguli, in eadem proportione diuidet excessus secundarũ à primis omnium aliarum figurarum mediarum. Sit supra extremitatem lineæ a c erecta linea a b, quæ sit prima circuli, & super alia extremitate dictæ lineæ a c, sit erecta linea c d, quæ sit secunda trianguli, quia linea a b est minor linea c d, si à puncto b trahatur linea b e æquedistans basi a c, perueniet in linea c d, & diuidet excessum secundæ à prima, qui est h d in quadam proportione d e ad e h. Dico ꝙ si prima & secunda alicuius figuræ mediæ describatur, ut g i prima, & g f secunda, ꝙ excessus secundæ à prima, qui est f i diuident ab ipsa b e linea in puncto k, in eadē proportione quæ erit f k ad k i ductis lineis d b h b. ita ꝙ erit eadem proportio f k ad k i, quæ d e ad e h, totus enim triangulus d h b diuisus est per æquedistantem basi f i, erit ergo proportio e b ad k b, sicut d h ad f i, & eadem proportio erit d e ad k f, & e h